UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi, Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m] patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De illis qui in plurimas nuptias inciderunt. xxii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

Visual Library

Item de concubinis. Cap. XVII.

NVlli liceat vno tempore duas vxores habere: ſed neque vnquam concubinam. *Ex cõcil. Arelatẽ. cap. 4.*

De ancilla, ſi proprio domino ſuo legitima fieri poßit. Cap. XVIII.

SI quis ancillam ſuam libertate donauerit, & in matrimonio ſibi ſociauerit, dubitabatur apud quoſdã vtrum huiuſmodi nuptiæ legitimæ eſſe videantur, an non. Nos itaque vetuſtam ambiguitatem decidentes, talia connubia legitima eſſe cẽſuimus. Si enim ex affectu fiunt omnes nuptiæ, & nihil impium, & legibus contrarium in tali copulatione fieri poteſt, quare prædictas nuptias inhibendas exiſtimauerimus? Omnibus vobis vnus eſt pater in cœlis, & vnuſquiſque diues & pauper, liber & ſeruus, æqualiter pro ſe, & pro animabus eorũ rationem daturi ſunt. Quapropter omnibus cuiuſcunque conditionis ſint, vnam legem, quantum ad Deum, habere non dubitamus. *Ex decr Iulij papæ, ca. 4.*

De illo qui ſeruum ſuum, & ancillam in matrimonium coniunxerint. Cap. XIX.

SI ſeruum & ancillam dominus amborum in matrimonium coniunxerit, & poſtea libertato ſeruo vel ancilla, non poteſt redimi qui in ſeruitio eſt, ideo matrimonia nõ ſoluantur. *Ex cõcil. Matiſcẽ. cap. 10.*

De multinubijs. Cap. XX.

SI quis multis nuptiis fuerit copulatus, pœnitentiã agat: conuerſatio autem & fides pœnitẽtis cõpendit tẽpus. *Ex cõcil. braggar. cap. 81.*

Quòd ſecunda coniugia ſecularibus non negentur, quibus tamen ad clerum minimè venire conceditur. Cap. XXI.

SEcundas nuptias, ſicut ſecularibus inire conceditur, ita poſt eas nullus ad clericale ſinitur venire collegiũ. Alia eſt enim humanę fragilitati generaliter conceſſa licentia, alia debet eſſe vita diuinarum rerum ſeruitio dedicata. *Ex decr. Gelaſij papæ, ca. 22.*

De illis qui in plurimas nuptias inciderunt. Caput XXII.

DE his qui in plurimas nuptias inciderunt, & tempus quidem præfinitum manifeſtum eſt, ſed conuerſatio eorum & fides, tempus abbreuiat. *Ex cõcil. Neocæſa. cap. 1.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN